



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XXIV. De consolatione piissimæ Matris Virginis Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

CAP. XXIV. De consolatione  
piissimæ Matris Virginis  
Mariæ.

*Psal. 44.* **D**iffusa est gratia in labiis  
tuis.

Eja obsecro tu Domina mea,  
vel nunc parum loquere mecum,  
sancta Maria. Aperi os tuum in  
nomine Filii tui, qui te benedi-  
xit in omni gratia spirituali.

*Mariæ.*

Ego sum (inquit) mater mise-  
ricordiæ, plena charitate & dul-  
cedine. Ego peccatorum scala,  
reorum spes & venia. Ego mee-  
storum consolatio, & Sancto-  
rum specialis lætitia. Transite ad  
me omnes, qui diligitis me, & ab  
uberibus consolationum mea-  
rum adimplemini, quia pia sum &  
misericors omnibus invocanti-  
bus me.

*Eccl. 24.*

Venite omnes iusti & pecca-  
tores, rogabo pro vobis Patrem,  
rogabo & Filium, ut repropitie-  
tur vobis per Spiritum sanctum.

*Invitatio  
Beatæ  
Virginis*

Omnes invito, omnes expec-  
to, omnes venire desidero. Nul-  
lum peccatorem despicio; sed  
su-

super pœnitente peccatore et-  
iam cum Angelis Dei in cœlo, ma-  
dulciffi-  
magna charitate congaudeo;  
quia non perit pretiofus sanguis  
filii mei, effufus pro mundo.

Accedite ergo ad me filii ho-  
minum; attendite & videte ze-  
lum meum pro vobis, ad Deum  
Filium meum Iefum Chriftum.

Ecce ego iram ejus in me fu-  
fcipiam, placabo illum precibus  
fedulis, quem vos offendiffis co-  
gnofcitis, convertimini, & veni-  
te; agite pœnitentiam, & impe-  
trabo vobis indulgentiam.

Ecce ego fto inter cœlum &  
terram, inter Deum & peccato-  
rem; & ne mundus ifte pereat,  
precibus meis obtineo.

Nolite ergo abuti misericor-  
dia Dei & mea clementia; fed  
omnem cavete offenfam; ne fu-  
bito fuper vos redeat indigna-  
tio, & intolerabilis vindicta.

Præmoneo filios meos, obfe-  
cro dilectos meos: eftote imita-  
tores Filii mei, & Matris veftræ.  
Recordamini mei, quæ veftri  
non poffum oblivifci. Ego enim  
fum omnium miferorum mifera-

Mm s

trix,

trix, omniumque fidelium piissima advocatrix.

Discipu-  
lus.

2. O gratiosissimum verbum, omni cœlesti dulcedine plenum! O vox sublimis de cœlo rorans, suaviter influens, peccatores cōsolans, & justos lætificans! O cœlestis fistula, quàm dulciter resonas in desperata conscientia! Et unde mihi, ut alloquatur me Mater Domini mei?

Benedicta tu Mater sanctissima, & benedictum eloquium oris tui; nam mel & lac sub lingua tua, & odor verborum tuorum super omnia aromata. Anima mea liquefacta est, ut locuta es, ô *Maria.*

Confolatio allata per Virginem quàm suavis & efficax.

Ecce, ut facta est vox consolationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio anima mea. Reviviscit namque intra me spiritus meus, & omnia interiora mea gaudio novo perfunduntur, quoniam bona & jucunda per te mihi hodie nuntiata sunt.

Tristis eram, sed nunc gaudeo propter vocem tuam. Vox enim tua dulcis in auribus meis. Gravatus eram & desolatus, sed  
nunc

nunc relevatus sum & confortatus.

Misisti enim manum tuam de alto, & tetigisti me, convaluique de infirmitate. Vix loqui poteram; sed nunc libet etiam cantare, & gratias tibi magnifice agere.

Tædebat vivere; sed jam nec mori timeo; quia te advocatam apud Filium sciens, pro mea causa teneo, cuius misericordiæ me commendo ex hac hora, & deinceps omni momento.

Ex quo enim locuta es ad cor desolati orphani tui, repente mutatus sum in melius, & valide interius recreatus.

3. Quodammodo desperatus jacui, sed accessit consolatio tua, meque erexit cum jucunditate, dicens:

Quid est fili, & qui sunt, qui volunt nocere tibi? Noli timere, ego videbo pro te fili mi. Vivo ego, & vivit Filius meus *Iesus* frater tuus, qui est ad dexteram Patris, fidelis utique Pontifex & intercessor pro peccatis tuis.

In ipso summe sperare debes,

Mm 6

quia

SSO SOLILOQUIUM  
quia ipse est dator vitæ , & de-  
structor mortis. Ex me tempora-  
liter incarnatus , ex Patre æter-  
naliter genitus , toti mundo in  
salutem datus est.

Ecce unde spes & consola-  
tio, & per quem fides & victoria.  
Sit Jesus & Maria in tua semper  
memoria, & non timebis inimici  
jacula.

**Discipu-  
lus.**

4. O felix hora, quando tri-  
bulato cordi meo adesse digna-  
ris, ô piissima virgo Maria! O si  
esset longior mora , ad audien-  
dum verba tua consolatoria;  
nam vehementer me accendunt  
& afficiunt, quoniam ex intimo  
me tangunt & instruunt.

**Aspira-  
tiones ad  
Beatam  
Virgi-  
nem sua-  
rissimam.**

Beata ubera tua, divina Ma-  
ria, quæ nunquam cessant dul-  
cissimum consolationis lac flue-  
re. Nam præ ubertate gratiæ la-  
tentis olim pueri tui dilecti Je-  
su, non potes innatam tibi mise-  
ricordiam denegare postulanti;  
sed gratiam sæpè exhibes, etiam  
in multis delinquenti.

O mater summæ pietatis, ma-  
ximæ miserationis & charitatis!  
O virgo incomparabilis, omni-  
bus

bus amabilis & venerabilis ! O  
genitrix singularis ex te nati Fi-  
lii Dei; sed & totius Christiani-  
tatis mater generalis, ac cuique  
pro suæ devotionis affectu valde  
cordialis & specialis.

O virgo virginum , Regina  
mundi, & Domina Angelorum,  
trahe me post te , ne jacens ma-  
neam sub onere peccatorum. Ef-  
funde gratiam, rorem salvificum  
de cœlis ministra , ut veraciter  
merear sentire; quòd tu es mater  
gratiæ, & fons patens misericor-  
diæ.

5. Ego sum mater pulchræ *Maria.*  
dilectionis, casti & sancti timo-  
ris, piæ allocutionis, & suavissi-  
mæ consolationis. Audito ergo  
nomine meo, exulta in toto cor-  
de tuo, inclina reverenter, me-  
que saluta libenter. Nam hono-  
rando Matrem, honoras & Fi-  
lium, qui Deum habet Patrem.  
Ego enim sum Maria, mater Je-  
su, & hoc nomen mihi in æter-  
num manebit.

Jesus autem quid ? Christus *Elogia*  
Filius Dei vivi. Hic est Salvator *Iesu piis*  
mundi, Rex cœli & terræ; Do- *sima.*

552 SOLILOQUIUM

minus Angelorum, ac Redemptor fidelium, iudex vivorum & mortuorum. Ipse est spes piorum, consolatio devotorum, pax mansuetorum; divitiæ pauperum, gloria humilium, fortitudo debiliū, via errantium, lumen cæcorum, baculus claudorum, unctio aridorum, levamen oppressorum, juvamen tribulatorum, & omnium bonorum singulare refugium.

Benedic Filium cum Matre, & eris dilectus à Patre. Da ei honorem & gloriam, quoties mihi aliquam exhibueris reverentiam. Ejus gloria mea lætitia, & mea laudatio, ejus est veneratio.

Pone me & Jesum, sicut signaculum super cor tuum; sicut signaculum super brachium tuum. Stans igitur aut sedens, orans aut legens, scribens aut operans; creber in ore; semper autem in corde, *Iesus* versetur & *Maria*.

Discipulus.

6. Eia amen. Serviant tibi omnes populi, tribus, & linguæ, & incurventur ante te omnes creaturæ. Cælum dicat: *Gaude Maria*; terra respondeat, *Ave in æ-*

ter-



*ternum & ultra.* Confiteantur  
simul omnes sancti nomini tuo  
magno, & exultent omnes devo-  
ti coram te Agno Jesu Christo,  
Filio tuo, Domino nostro.

CAP. XXV. *De reddendis Deo  
gratiis, pro acceptis bene-  
ficiis.*

**S***it nomen Domini benedictum  
in secula.*

*Psal. 72.*

Serviat tibi Domine Deus,  
quicquid ago, lego, & scribo; o-  
mne quod cogito, dico, & intel-  
ligo. A te incipiat, & per te, & in  
te, omne opus meum finiatur.

Nota  
verba, ad  
omnem  
actionem  
merito u-  
surpan-  
da.

Quod dedisti, hoc recipere; &  
unde flumina exeunt, illuc rever-  
tantur. Nunquam melius mihi  
manet, nec unquam dulcius sa-  
pit, quam cum totum tibi sincere  
retribuo, quicquid rectum à me  
geritur aut cogitatur.

Opto gratias agere, sed tunc  
veraciter ago, si totum tibi, & ni-  
hil mihi dederis, ex omnibus da-  
tis & acceptis.

Optimus  
gratiarum  
actionis  
modus.

Quid inquam possum retri-  
buere, malus & piger servulus?

Ni-